



LIBER V.

519

militari faciunt, quibus miseris ea res paruo presidio
 fuit. Namque milites veterani irâ et dolore incensi, non
 modo, ut parcerent hosti, nō poterant adduci, sed etiam
 ex suo exercitu illustres urbanos, quos auctores appella-
 labant, complures, aut vulnerarunt, aut interfecerunt.
 in quo numerō fuit Tullius Rufus Quæstorius, qui pilo
 trajectus consulto à milite interijt. Item Pompeius Ru-
 fus brachium gladio percussus, nisi celeriter ad Caesarem
 accurrisset, interfectus esset. Quo facto complures equi-
 tes Romani, senatoresque perterriti ex præliō se recepe-
 runt, ne à militibus, qui extantâ victoriâ licentiam sibi
 assumpsisset immoderate peccandi impunitatis propter
 maximas res gestas ipsi quoque interficeretur. Itaque omnes
 Scipionis milites, cum fidem Caesaris implorarent, in spe-
 stante ipse Cesare, et à militibus deprecante, eis uti par-
 cerent, ad unum sunt interfecti. Caesar trinis castris po-
 titus, occisisque hostium decem millibus, fugatisque complu-
 ribus, se recepit, quinquaginta militibus amissis, paucis
 faucibus, in castra. Ac statim ex itinere ante oppidum Tha-
 psam cōstitit, elephantosque sexaginta quatuor, ornatos,
 armatosque cum turribus, ornamentisque capit, captos ante
 oppidum instructos constituit. Id hoc consilio, si posse-
 set et Vergilius, qui cum eo obsidebantur rei male ge-
 ste suorum indicio à pertinaciâ deduci. Deinde ipse Ver-
 gilium appellavit, invitavitque ad deditiōem, suamque leni-
 tatem, et clementiam commemoravit. Quem postquam
 animadvertit responsum sibi nō dare, ab oppido recessit.
 Postero die diuinâ re factâ, concione advocata, in cons-

Tullius
 Rufus
 Quæsto-
 rius.
 Pompeius
 Rufus.

Caesariū
 numerus

K 4